



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1658

§. 34. Erat autem socer Caiphæ, qui erat Pontifex illus anni. v. 14.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

§. 34. *Erat autem focer Caipha, qui erat Pontifex illius anni. v. 14.*

Continuat Euangelista describere Annam & Pontificem quod nimirum esset Pater uxoris seu nuptæ Pontifici anni illius, hoc enim imponebat nomen focer. & hac descriptione S. Ioannes multa nobis utilia suggerit, bene perpendenda. 1. quod Annas ille fuerit similistarina homo cum Caipha, quia si huius iniquitatem verè odisset Annas, non dedisset uxorem ei in ualori sui Pontificatus suam filiam in uxorem. 2. quod iste Annas fuerit homo valde ineptus, qui de Pontificatu Iudæorum amotus, suo exemplo communicando tam arcte probavit suam deiectionem & alterius institutionem contra legem Mosaicam, ex illa tamen Annæ malitia hoc boni elicuit Deus, quod valor Passionis Domini multum fuit stabilitus. Si enim Annas siue Ananus, uti Iosephus eum vocat, fuit legitimus Pontifex, & iniuria deiectus est, & succedentibus e tribus brevi tempore substitutus ei Iosephus Caiphas, non fuit legitimus Pontifex, bene factum est, quod ad Annam omnium primum ductus fuit, ne nobis Christianis postea obijci posset, quod à Pontifice non legitimo, sed in ualori Christus esset damnatus & ideo non esse Christum verum agnum paschalem, utpote à non legitimo Pontifice immolatum, &c. talia quæ dici potuissent per istam adductionem ad Annam fuerunt valde efficaciter impedita, quoniam Annas ipsemet, alias legitimus Pontifex, Christum Dominum palam ad se ductum, ad Caipham transmisit, veluti suum vicarium, vel, uti Pontificem saltem toleratam.

Domine Iesu dulcissime, cuius potentia & imperio omnia curvantur, cuius maiestas ita est inclinata, ut pro me ab inimicis tuis capi, ligari & tradi dignareris, & interea sapientissime cavisti, ne tuæ Passionis valor politiciis subtilitatibus & disputationibus de iure & competentia legitimi iudicis evacuaretur, tibi gratias immensas ago pro ista tua providentia, & illi me totum subdo & committo, quoniam maior est quam omnis totius mundi sapientia collecta.

§. 35. *Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Iudæis. v. 14.*

Post Annam etiam depingit nobis S. Ioannes ipsummet Caipham, siue illegitimus seu legitimus Pontifex fuerit; ac primo à nominis descriptione ordiundo, interpretatur *sagax* aut *vomens ore*, quia consilium dedit Iudæis, velut rector, vel ut vice Pontifex Ecclesiæ Mosaicæ, quod consilium revera erat ipsius spiritus sancti dictamen; sed quoniam ipse erat corde malusaliter illud proferebat, quam Spiritus S. & ideo bene *sagax dicitur quia verum dixit, Et ore vomens, quia quod verum dixit, corde perverius*